

1709

A S C E T I C I.

1710

et fructum afferatis uobis per illa opera acquirendo, et fructus uester maneat uos nunquam eternaliter deserendo. Amen. Nomina PP. quibus per decursum utitur Noster, in margine notantur. Verum, an is *Ordinis Minorum*? Tacet de eo *Waddingus*. At *Echardus* in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 475.* excitat *F. Sibitonis Viennensis Opus egregium in Oratorem Dominicam*, optatque, ut Sodales sui *Viennenses* de hoc Viro quid certius aliquando prodant. Bibliotheca nostra Palatina condit *F. Sibitonis Ord. Praed. Sermones de Sanctis per totum annum mss.* suo loco referendos. Itaque his potius adstipulor, Librariumque lapsus autumo; miror tamen, Viri memoriam sic penitus intercidisse, ut ne quidem, an *Sec. XIII.* an *XIV.* vixerit, liqueat, praefertim, cum monumenta plura reliquerit; neque enim falsus est *Mansus*, ut *Index* docet, qui visum a se olim in hujate Bibliotheca *Windbagiana Tractatum super Miserere insignis Doctoris Sibitonis* ei quoque adtribuit. Vide ejus *Bibl. med. Lat. Fabricii L. XVIII. p. 167.* Codicem nostrum ab *Joh. Fabro Ep. Vien. a. 1540.* suo ad *D. Nicolaum* Collegio adiectum fuisse *περὶ γράμματα* decet.

DCCXIII.

R. 2188 Codex chartaceus lat. *Sec. XV.* Folior. 156. 4. non una manu, bene perscriptus, et rubricis distinctus sequentia complectitur: I. *Francisci Petrarce laureati. Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

Vite solitarie liber primus Incipit ad Philippum olim Episcopum Caualicen. qui postea Patriarcha Ierosolimitanus demum Cardinalis. Lepidum huic cognomen adiecere *Patbae Panvinius* et *Ciaconius*, et ipsa *Opp. omn. Petrarchae Editio Basil. 1581. p. 226. f.* quod sane nil aliud est, quam contractus *Patriarchae* titulus ita in *Mss.* repertus; genuinum enim Viri cognomen fuit *de Cabassole*, ut *Epitaphium a. 1372.* defuncti apud *Ecclesiam Carthusianorum Avenione* testatur. Exemplar porro praefens cum Editione memorata compositum integrum est, nisi quod *Epistolam ad Philippum* non praefert. Praefatio incipit: *Paucos homines noui &c.* Libri II. principium oblitus est notare *Scriptor*; *Capita* etiam absque *Sectionum* mentione aliter interstincta sunt. Lectio proba est et saltem ad emendanda Editionis illius *σφάλματα* servire posset, si de recudendis immortalis Viri, cui injuriam faciunt, qui solum *Poetam* crepant, *Scriptis* ethicis cogitationem quis susciperet.

II. fol. 104. succedunt *Sermones beati Augustini ad Heremitas fratres suos de vita heremitica seu solitaria.* Solummodo *XXIV.* cum *Mauriani T. VI. Opp. Augustini Append. col. 303. LXXVI.* retulerint. Primus nobis inquit: *Fratres mei et leticia cordis mei corona mea et gaudium meum &c.* Ad calcem: *Expliciunt sermones beati Augustini episcopi ad fratres suos Heremitas, quos quidam magister parisius dicitur inuenisse.* An

P p

con-

1711

C O D I C E S A

1712

confinxiffe? *Jordanum de Saxonia Quedlinburgensem O. Eremit. S. Aug.* hic innui putem, qui primus ineptias has e Codice *Parisiensi* produxit, ut pluribus videre est in praevio *Maurianorum Monito.* Obiit is a. 1380. Ad de illo *Osfingeri Bibliothecam August.* atque ubi de controverso ejus *Vienensi Tumulo ad Adnotationem in fine num. 49.* provocatur, lege 26.

III. fol. 149. Epistola F. *Stephani de Senis* Prioris Domus sanctae *Mariae de Gratia Carthus.* Ordinis prope *Papiam* nunc pariter abolitae ad F. *Thomam Antonii de Senis* Ord. Praed. in Conventu SS. *Job. et Pauli Venetiis* data a. 1411. 16. Octobr. sub manu publica duorum notariorum in presentia quamplurium testium et cum appensione Sigilli magni conventualis de Vita et Virtutibus S. *Catharinae Senensis* lectu dignissima, sed jam edita a *Dan. Papebrochio* in *Aëtis SS. T. III. April.* p. 961. *Stephanum*, cujus, ut ait e *Bostio Sutorius*, omnes actiones splendoris dignitatisque plenae fuere, commendant omnes Scriptores *Carthusiani*.

DCCXIV.

R. 2293 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 113. f. pulcre exaratus, coloribus illustratus, et quondam *Monasterij sancte dorothee in vienna* sequentia M. *Henrici Langenstein de Hassia* Academiae *Vienn.* primi Plantatoris ✠ 1397. et *Henrici de Vrimarya*

Erem. Aug. Opuscula a me jam alias sparsim relata continet: I. *Incipit tractatus Reuerendi Magistri Henrici de Hassia de discretionem spirituum.* Initium: *Sicut in phisica motus et operationes &c.* Primae lineae situ et humore evanuerunt.

II. fol. 11. *Incipit tractatus de instinctibus.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam &c.* *Licet uerbum propositum exponatur &c.* Ad calcem: 1419. *bacyri*, sed alia manu superpositum *barnabe*, diem videlicet absolutae scriptio- nis notans. Nullum hic Autoris nomen. Exempla quaedam *Henrico* priori, alia posteriori inscribunt. Vide *Vol. I. P. I. col. 225.* P. III. col. 3196.

III. fol. 23. p. 2. absque inscriptione, sed ad calcem: *Explicit tractatus de occultatione uiciorum sub specie uirtutum.* Initium: *Est uia que uidetur homini recta &c.* Ad *Henricum* posteriorem pertinet, ut alibi dictum.

IV. fol. 37. *Incipit tractatus de clauibus ecclesie Magistri.* Nomen *erasum*, sed est *Henrici de Hassia*, ut *Codices Vol. I.* relati docuerunt. Incipit: *Tibi dabo claves regni celorum. Mat. 16.* *Verbum hoc cuilibet dicitur confessori &c.*

V. fol. 61. *Tractatus M. H. de Hassia de uerbo in diuinis.* Initium: *Quis michi det uerbum quo semiuerbis ego* (*σπερμολογος* *Aët. XVII. 18.*) cui perperam imposita glossa: *uel semiuerbis id est ineloquens. &c.* *Vol. I.* bis inscriptus fuit: *De uerbo incarnato.*

VI.